libertate donatus est, atque in eo
loco qui Fundis dicitur monasterium
construxit. In quo ducentorum ferme
monachorum pater extitit, ibique vita il-
lius circumquaque exempla eximie
conversationis dedit. Nam quadam
die ex eo monte qui eius monasterio
in excelsum preminet ingentis saxi
moles eruta est, que per devexum
montis latus veniens totius ruinam
celle omniumque fratrum interitum mi-
nabatur. Quam cum venientem desuper
vir sanctus vidisset, frequenti voce
Christi nomen invocans, extensa mox
dextera signum ei crucis opposuit,
eamque in ipso devexi montis latere
cadentem fixit, sicut religiosus vir
Laurentius perhibet. Et quia locus non
fuerat quo inherere potuisset, ita
aspicitur stare ut nunc cuique montem
cernentibus casura pendere videatur.
Petrus. Putamusne hic tam egre-
gius vir ut post discipulorum ma-
gister fieret, prius habuit magistrum?
Gregorius. Nequaquam hunc fuisse cu-
iusquam discipulum audivi. Sed lege
non constringitur sancti spiritus donum. Usus
quidem recte conversationis est ut pre-
esse non audeat qui subesse non
didicerit, nec obedientiam subiectis
imperet quam prelatis non novit ex-
hibere. Sed tamen sunt nonnulli qui ita
per magisterium spiritus intrinsecus
docentur ut et si eis exterius
humani magisterii disciplina
desit, magistri interni censura non
desit. Quorum tamen libertas vite
ab infirmis in exemplum non est
trahenda, ne dum se quisque similiter
spiritu sancto impletum presumit, disci-
pulus hominis esse despiciat et ma-
gister erroris fiat. Mens autem
que divino spiritu impletur habet

evidentissima signa sua, virtutes scili-
cet et humilitatem. Que si utraque
in una mente perfecte convenerint, liquet
quod de presentia sancti spiritus testimonium
ferunt. Sic quippe etiam Iohannes bap-
tista magistrum habuisse non le-
gitur, neque ipsa veritas que presentia
corporali apostolos docuit eum corporaliter
inter discipulos aggregavit, sed quem
intrinsecus docebat, extrinsecus
quasi in sua libertate reliquerat. Sic
Moyses in heremo edoctus ab angelo
mandatum didicit quod per hominem non
cognovit. Sed hec ut prediximus in-
firmis veneranda sunt, non imitan-
da. **Petrus.** Placet quod dicis. Sed pe-
to ut mihi dicas si tantus hic pater
aliquem imitatorem sui discipulum
reliquit. **Gregorius.** Vir reverentissimus
Libertinus, qui regis Totile tempore eius-
dem Fundensis monasterii prepositus
fuit, in discipulatu illius conver-
satus atque eruditus est. De quo
quamvis virtutes multas pluriorum
narratio certa vulgavit, predic-
tus tamen Laurentius qui nunc superest et ei
ipso in tempore familiarissimus fuit, multa
mihi de illo dicere consuevit. Ex quibus
ea que recolo pauca narrabo. **De**
In eadem provincia **sancto libertino.**
Samnii quam supra memoravi
idem vir pro utilitate monasterii car-
pebat iter. Cumque Darida Gothorum
dux cum exercitu suo in loco eodem
venisset, dei servus ex caballo in
quo sedebat ab hominibus eius proiectus
est. Qui iumenti perditi dampnum
libenter ferens, etiam flagellum quod
tenebat diripientibus obtulit di-
cens: Tollite ut habeatis qualiter
iumentum hoc minare valeatis.
Quibus dictis protinus se in orationem
dedit. Cursu autem rapido predicti

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1518, fol. 1v – Gregorius I, <i>Dialogorum libri IV</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-siju/7374/59249)